Szaniawski Constantinus Felicianus
Episcopus Cracoviensis.

Cracoviensis Collegii Scholar. Piar. Hecatombe
uno constans agno.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1369.

HECATOMBE

VNO CONSTANS AGNO

DEO-HOMINI CHRISTO IESV

In Monte Thabor Transfigurato
Super primam *Lapidis Angularis* Aram
Pontificali manu,

CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI

D. CONSTANTINI FELICIANI

in Szaniawy

SZANIAWSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ,
Illibatam ſuam in AGNO Gentilitio conſecrante Pietatem

I M M O L A T A.


A Collegio Cracovienſi Scholarum Piarum,
Templi Transfigurationis Domini Æditimo,
Panegyricis adoreis & Philoſophicis laureis

C O R O N A T A.

Anno Agni *in Crucis ara victimati* 1724. *die* II *Menſis Maji.*

CRACOVIÆ
Typis Iacobi Matyaskiewicz S. R. M. Typographi.

IN AGNVM CANDIDVM
DVCALI PVRPVRA TRABEATVM.



22152 III

I.

Mirata eſt niveis AGNVM caneſcere cirris,
Et procul exiguæ, Patria, labis ebur:
AGNE diu candoris (ait) Te lilia pingunt,
Purpureas tandem Te ſine ferre roſas,
Pulchrius erubuit ſub murice, præſtitus ante,
In Patriam candor, quem dedit eſse ſenem.

II.

Vnus ſtat toto ſed præ grege dignior AGNVS
Vnica præ multis Victima grata Iovi.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

CELSISSIME
PRINCEPS PRÆSVL
PROTECTOR FAVENTISSIME

V*ota sæculorum, Apostolicis olim concepta desideriis, hodie felicissimo perficis eventu, dum glorificato* super montem Thabor *DEO-HOMINI immortale fundas* Tabernaculum. *Poteratnè digniùs hæc Divinis honoribus destinata moles elevari? quàm illius manu Pontificis, quem concolor paludato nivibus Numini signat* Agnus, *idemq; characteristicus est innocentissimæ sub assumpta peccati specie Divinitatis Typus. His Augustæ Domûs Tuæ Ce-*

ris, quas primò ad paratas immensæ Majestati aras accendis, auges Majorum Tuorum illustrem ex perenni operum fama, pietatem. Celebratur altissimo ritu, & nullis amnestiæ terminanda vesperis NANKIERI Episcopi Cracoviensis Pietas, per quam vindicata incendiarijs cladibus Cathedralis Ecclesiæ Cracoviensis *rudera, in eam quæ nunc spectatur, redintegravit amplitudinem, & fumantes in titionibus aras pristino donavit splendore, immortalia Regum Poloniæ é cineribus busta suscitavit. Sanctitati suæ immortuum JVONEM plura per Diæcesim condita canonizant Sanctuaria. Singuli deniq;* Cracovienses Antistites *per templa & aras à se innovatas computantur. Te PRINCEPS CELSISSIME quæ quantaq; manet per sæcula recordatio? cùm annos, imó singulas ferme partes annorum Pontificatûs Tui distinctis debebunt numerare basilicis. Hoc erat olim apud Romanos transmittendæ ad posteros rerum gestarum memoriæ studi-*

um

um, ut dies successusq; Imperij signatorijs recenserent calculis; qua luce publica sese exeruit felicitas, gemmis notabatur: si quæ verò in populi expectationem nefasto eventu deliquisset, atris lapidabatur scrupulis. Tui Pontificalis Imperij ephemeridem non minores duntaxat lapilli sed integræ subarrhant Basilicæ, quibus jam Vladislaviensem *&* Pomeraniæ, *jam* Cracoviensem *Diæceses ampliâsti, in id unum liberali intentus zelo, ut ipsis per Te restauratis ædibus squallor & ruinæ orbis obruantur. Quot opera sæculorum validiores ad internecionem expugnârunt arietes! AGNVM Tuum per arcus & propylæa cælatum, suum loqvuntur instauratæ moles Reparatorem. Loquitur* Cathedralis Ecclesia Cracoviensis *Sponsa AGNI, cui tot fatorum latrocinijs exspoliatæ, auream de pretioso vellere suo paravit cycladem, totq; inscriptis summæ Dotalis millibus, fecit unam é millibus electam & elocatam. Loquitur* Insignis Collegiatæ Kielcensis, *illud dilectum Cracoviensium*

Antiſtitum Paſtophorium, quod olim Poloni GEDEON baſis una mundi *plantavit, CONSTANTINVS pari ad Nomen Suum Magnificentia ampliavit. Id ipſum pro Tua PRINCEPS pietate ſperare nobis liceat, quòd ſcilicet eadem manu, quâ primum jacis fundamentum, ſurrectura Sanctuarij hujus promovebis mænia, donec* Lapis hic creſcat in montem Thabor. *Felicem admodùm è dextera FELICIANI jactum hunc fore non ambigimus, quia iam ſecundum. Initiaſti olim ſub* Infula Vladislavienſi Radomienſem Scholis Pijs *pari actu & iactu* Eccleſiam, *& quaſi proſperâ Tibi ad Cracovienſem ituro* Cathedrâ *præluſiſti aleâ, utinam & hoc, quod nunc dexterrima Pietas Tua collocat* Saxum, *Tuæ noſtræq; ſit provectionis gradus. In primis autem deditiſſimæ ſubmiſſionis noſtræ eſto fundamentum, quâ una cum angulari lapide ad Tuas proſternit plantas.*

Infula Crac: in Gedeone

Celſitudini Veſtræ
Protectori ſuo Faventiſsimo
Obligatiſsimum
Collegium Cracovienſe Scholarũ Piarũ

PANEGYRICUS.

TE Ipſum cælo inviſceras, dum Angularem ſub Aſtra ſurrecturæ ædis baſim, ad terræ demittis Centrum. CELSISSIME PRINCEPS PRÆSVL. An enim altiùs baſilicum gloriæ Tuæ titulũ ſanctior provehat Pontificalis Tyaræ apex, vel Ducalis attollat Celſitudo, quàm illa ipſa erectiſſimæ ad ſuperos pietatis immenſitas? cum qua omnem humanam tranſcendis eminentiam. Non ita pridem valida undiq; Dijs volentibus in Patriam præceps ruit viciſſitudo; ne porrò (quod jam prope eventurum verebamur) etiam ipſum in nos rueret Cælum, parem illi ſuſtinendo cum Atlante ſuppoſuiſti humerum. Te Magno Statore CONSTANTINO reſtitutam ſibi hodie mira-

mur Poloniam, & ad primitivum reerectam statum gratulamur, cui non unâ inter geminatas clades, extirpationi nostræ superstites, parentavimus sepulturâ. O Dexteram Tuam PRÆSVL CELSISSIME verè thaumaturgam! Dexteram Magni STANISLAI Successore dignam! Ille triennalem fecit vivere in *Petro* mortem; Tu plurium ætatum cadaver, iterato elatam funere Poloniam ab inferis revocasti En quasi Tua continuares prodigia, hanc, quam Sacro impingis fundo *Petram*, surgere altiùs iubes, tuāq; impetum & causam eminendi benedicto lapidi ingeris manu; ne quidquam passurus intra Patriam per Te à cladibus relevatam, quòd altioribus incrementis Te publicæ instaurationis non recolat Authorem. Si cætera deessent magnæ mentis Tuæ indicia, hoc unum, quod hodie patras prodigium, populari sufficeret admirationi, unde palàm constat: quàm sublimes de Divis, quam excelsos de Patria intra animum admiseris cogitatus. Solo hactenus æqualem, vixq; inter suos visibilem angulos solitudinem Numini in honorem, Polonæ Metropoli in de-

cus ad Cælos aſcendere iubes, dum *Primum* terræ mandas *Lapidem*. Equidem tota è ruderibus ſuis eluctata ſat auguſtus eſt Tibi Cæloq; contiguus Polonia coloſsus; cæterùm dum hoc ad compagem immortalis acroterij adjicis *Saxū*, iam nullo prorſus lapide Tua à Cælo videtur diſtare Celſitudo. Hic *Lapis*, qui per Te *factus eſt in Caput Anguli* Syderibus redimiendam Majeſtatis Tuæ invehit frontem, ut ijs, quas meritis Tuis per orbem ſuperaſti coronis, ipſi ſe pro corollario & coronide Cæleſtes apponant Orbes. Ne porrò, dum tam alté, Tuam collocamus gloriam, videamur præcipitare veritatem, *Saxum* hoc, quo Sacrum DEo plantas Tabernaculum, fidei quoq; adſtruet fundamentum. Non alio pietas illud cælavit ſtemmate, niſi cæleſti, quaſi Cælum in Lapidem tranſcripſisſet. Humorem ex ſudat marmor pretioſum, quia PRINCIPIS SRZENIAVÆ gemmeo liqueſcit elemento. Non ſemel hic Cælo illatus Eridanus, iugiter inter aſtra manat etiam SIENIAVIANA. Per fluctus candidos, ipſisq; dilutos gemmis, Nomen Cæleſtis ex-

haufit Galaxiæ; fed iterum dum à Romano ducitur Rubicone, dum collectos in LVBOMIRIANIS Purpuris recenfet Murices, dum hoftium exundat fangvine; alternat per vices titulos, diciturq; Via Purpurata, & nec ideo definit effe Via Lactea. Vel uno hoc PRINCEPS CELSISSIME conftat argumento, Cælo Tuum coronari verticem; nam cæleftis prorfus, ipfisq; (fide Mathefeos) ftrata fyderibus in Te, prono *Amne* LVBOMIRIANO, devolvitur Galaxia. Iam profectoLapidem hunc,quem manu Præfulea, felici jactu ruiturum deftinas, non Lapidem, fed Gemmam, aut fydus putes effe coronarium. SRZENIAVÆ Fundatricis offunditur alluvione, & hæc quidquid felici tangit undâ, aut gemma fit, aut Sydus.

Quàm ingens hic erigendo honor & folemnitas Sanctuario! Nondum fuis provectum ftetit mænibus, & jam ex Te Ipfo CELSISIME PRINCEPS Majorem habet Aram, Aram toto cælo coronatam. Quid memorem fplendores è Tuis Avitis ceris, e fulgidis derivatos meritis? quid ornamen-

menta recenſeam, è pretioſa decorum Animi Tui ſupellectili provenientia? Singula hæc incomparabili ſolemnitatem hanc adornant pompâ: cæterùm nihil ita auguſto ac primario effulget paratu, quàm ille immortalis, ſua intrà annum lunatione evoluto vere Majus revireſcens, ille inquam Pacis Majus, quem Tua PRINCEPS CELSISSIME per Poloniam plantavit dexteritas. Permittes nos morem gerere Eccleſiaſtico Rubricæ canoni, atq; nondum Sacris elocatam parietibus aream, Palmarum, Olivarumq; ramis coronare virentibus, amæna ſcilicet pacis ſtirpe Tuo propagatæ conſilio. Hodiene duntaxat MAGNE PRINCEPS devotam TRANSFIGVRATIONIS myſterio fundas, & primario auſpicaris Lapide Eccleſiam? A quo PACIS Templum in Patria moliri cæpiſti, hanc ampliare viſus es Ædem, admirabilem ex belli conditione in Pacis Statũ cauſatus Poloniæ Transfigurationem!

Viderìs PRINCEPS CELSISSIME placida Superûm deſtinatione, ad hoc ſæculis noſtris donatus, ut univerſali Sequeſter ultra exempla, Fortunatiſsimus intercederes di- Celſis: Princ: in ſpẽ Pacis publicædatus.

C ſtur-

ſturbio, & extremis ſejuncta diſsidijs Mediator Efficaciſsimus congregares. Proinde vix primos, ipſi ad invidiã ſoli exporrexiſti oculorum radios, ferale bellorũ ſydus Mars, ad occaſum retroſpexit, Cælo, nedum orbe, ad ipſam uſq; Stygem mutaturus colonias, internecinum ſibi prævidens, qui Tibi & Orbi vitalis erat horoſcopus. Oppoſueras illico leoninæ eorum rabiei, quos in bella libido impunis rapinæ efferaverat, Tuam in AGNO Patritio innocentiam, ut ferrea, ad ceras manſvetudinis molliri diſceret, & ſi nollet, immanitas, armorumq; libertatem vel coacta poneret, Signum armiſtitio dante, Excorni ARIETE. Quid ultra. (vel inter ipſos tenerrimos dicebas vagitus) quid ultra Sangvinis procellæ ſævient? noverint me ex Vellere in Colchide gentilitia reportato, Iaſonem, cruenti fluctus, ſuiq; tumoris Timorem. Itaq; Cunæ Tuæ PRINCEPS CELSISSIME Triumphalis erant Prætoria, ex qua cum intergritate Patria, ad beatas optatiſsimæ tranquillitatis eluctaturus Inſulas, frementi tempeſtivè modum ponebas tempeſtati, ut tuo ſervire ſciret imperio, quæ ad inſaniam

contra

contra Imperia ſævierat. Revocamus Te PRINCEPS ad illud feliciſsimi ortus Tui ſæculum. Illa Te Poloniæ tulit ætas, quæ univerſos prope ſibi eripuerat Cives, quò Ingentium jactura Procerum locupletiſsimè Te uno ſuppleretur, pretiumq; eſses perditiſſimi, undequaq; temporis. Arcano quodam Numine actum eſſe palàm eſt, per eas ætates Te in commercia viventium prorupiſse, dū ſingula peſsum acta, & tantum non totus orbis, vix aliqua ſui parte cohærens, in ſe rueret, ipſe ſibi tumulus & veſpillo. Ruebatur certatim in clades, non peregrè tantū elicito in perniciem diſcrimine, verum etiam domi, invitatis, per libidinem pereundi fatis. Nulla ſibi pars mundi non plaga, tantùm intra ſe colliſis funeſta æmulatione Procerum terræ ſtudijs, ut extrema præcipitatæ integritatis ruina, gradus putaretur altiſsimæ, quò ambitus impellebat provectionis. Remiſſius tamen alibi inſoleſcebat vis mali, & ceu ex imperio temperantiæ, confuſa modeſtiæ ferocia, exagitabat gentes. Æſtuabat Scaldis, fremebat Sequana, furebat Rhenus, tumebat Bætis, ſpumabat Oceanus: toto orbe trepi-

Tempore maximis in Europa bellis ſed jam tunc ceſſantibus obnoxio.

C2 da-

datum est: sed trepidatum duntaxat, non prorsus ruitum; ipsa se, intra terminos discretionis coercente vicissitudine. At verò in Regno, nostro nè a nostrarum calamitatum? novissima quæq; ita populos, decoraq; corripuerant, quasi gravius in fata deliquissemus, aut patientia nobis virilior esset, adeoq; acerbius exercenda, quòd sævissimis quibusvé par crederetur tolerandis. Quidquid alicubi furoris, in nos evibratum, tantùm non ultra Orbem quæsita & accersita malignitas. Gothi, Vandali, Sveci, Transylvani, Valachi, Moldavi, Tartari, Kosaci, Moschi, Thraces in excidium nostri fædum percusserant fædus, adeò conferta colluvie, ut in ipsis Ducum Nominibus grandis legeretur exercitus, poteramus ipsis opprimi vexillis, conclamari classicis, multitudinis sine numero sub signa congregatæ famâ deleri. Tanta se orbi nostro criticæ reuolutionis infuderat tempestas; toto Cælo & terra, toto etiam Acheronte in portentosam calamitatis procellam collectæ tumultuantis ferociæ nubes, ut novum aliquo imani expungendæ caligini, pro vocandum debuerit à superis efflagitari Sydus

dus

dus. Et habuit sanè prosperam, effusa in eventum spes, coronidem: publica votorum liberalitas, elicuit in munus optabile, Numinum parsimoniam. Datus es obtenebrato in Solem Septemtrioni PRINCEPS CELSISSIME, ea mox è conspectu tuo in apricum prorumpente serenitate, ut ex Tuo vultu novam sibi rediisse faciem miraretur Patria Tantum illico sævities belli à finibus Poloniæ elongaverat, Te vixdum superstite, quantùm excessisse, ultra fidem etiam, nedũ limites Regni, videbatur. Vel primus placidissimæ palpebræ Tuæ nictus elisit citra limites, imo etiam ultra memoriam hominum, cæcâ ruentem, suiq; post excidia populi, impotem perniciem. Ipsis, quas in solatia Patriæ vibrabas gratias, fulminabas procellas temporis, publicas profligabas clades, populabaris ruinas Decorum. Iisdem cunis, quibus spes publica unâ Tecum agitabatur, composita ad tranquillitatem Patriæ inquietudo, sopiti motus, sedatæ Gentium seditiones. Prælusisti auspicatissimis pretiosi animi Tui Natalibus ætati aureæ, exacto ferri imperio: ut quantus olim futurus esses *Pacis*

Auſpex, Bellorum, in toga, Domitor, Patriæ ruentis Stator, pronum eſset colligere, ex inclinatis tunc, poſt noviſſimam cladem, in Statum meliorem, Poloniæ rebus.

Tenera ætas Celſis: Principis magnæ Spei.

Non adulamur Infantiæ Tuæ PRINCEPS, more ac ritu eorum, qui, ut tenellam ſibi demereantur ætatem, plus mollibus aſsentationum involucris, quàm linteis, eandem faſciant, an faſcinant. Novimus Animũ Tuum, à primigenio exortu, ipſi duntaxat, pro lacte aſsveviſse candori; ipſos veritatis admittere colores, non umbras evanidæ laudis, aut inſidioſam, ex occulto, ſinceritati ſpeciem. Qualem Te in illius ætatis compendio ſuſpexit Orbis; citerior, memoriæ noſtræ, demonſtrat eventus. Qui beatam vitæ Tuæ adoraverant Auroram, jam propè univerſos parentalis extinxit Heſperus, ſatis usqꝫ ſibi vivere gratulatos, quod Te vidiſsent. Nobis, plus de felicitate indultum, quod ipſum vitæ Tuæ contemplemur meridiem. Superi? quæ illa Principis Animi Majeſtas? Quocunqꝫ ſe auguſta mens profert, integram Syderum putamus circumferri Rempublicam, tanquam ſi luminoſiſſimo Animo

Cæ-

Cælum pro Capite; aut Caput pro Cælo esset. Et quomodo non potes, imò quomodo non debes PRINCEPS CELSISSIME tanta lucis congerie (dum publica in funestam nubē colliditur tranquillitas) atros disgregare squallores? Maneret suis Tytan, perpetuo incolatu Antipodis, Tu nobis dies, & quidem ipso puriores sudo, dare potes. Præstò id & prorsus à primo vitæ Tuæ diluculo, etenim: *vultus ubi Tuus affulsit populo, gratior it dies & soles melius nitent.* Vtcunq; in Orbem, Tui desiderio inflammatum nullis prælustribus Ceris prodijsses serenatus; affatim Tibi, ad Magni apotheosim Numinis, propriæ virtutis præluxerunt multiplicati soles; animi, cælo insigniores apparatus: Tua Te luce abundantissimè coronas, non quæsito ab umbris Majorum nitore. Id demum non vulgaris pretij decus, citra adoptatos aliunde splendores, derivatis à se ipso refulgere meritis, suæq; Authorem esse gloriæ, non traducto ab altiori stirpe lumine. Arida est, perpetuoq; labilis defluxu Vistulæ magnitudo; quia se exhaustis desuper aliorum fluminum ingurgitat uberibus: ubi verò

Celsiss. Princeps Proprijs non aliunde quæsitis fulget decoribus.

ad caput fontis, nullo adventitij fluminis nobilitatur nomine, se ipsam, præ tenuitate, propè ignorat: grandioribus in ibi indigna centauris, quibus ad peregrinos cum fama Nominis, permeet continentes. At vero Nilus, quia suam ipse originat & augmentat amplitudinem, influit in prodigia, satisq; sui ipsius proprietate ingens ultra terminos, & ultra fidem hominum per famam exundat. Dotalis & ingenerata Hierarchæ syderum lux, sine fine suspicitur, quia, ignorato splendoris principio, ex se relucet; reliquæ astrorum plebi, alieni usurpatio decoris, detrimentum est. Lucent; sed dubia inter umbras claritate; stellæ: turpiter ex eo quod aliunde prædantur, ornamento, notorio furti crimine per noctes inculpantur. Vt in illo provectissimæ serenitatis fastigio constitisses PRINCEPS CELSISSIME, nullum provocati ab extra splendoris admisisti commercium, & quanquam gentilitium jus æquitati attributionis hæreditariæ subscriberet, maluisti proprium, in augem jubaris excutere animum, quàm vel minimè externa lacessere; optime cautus: consortium vicinæ flammæ, incendio magis

peri-

periculosum, quàm splendoribus utile: deductam à domestico laudem foco, fuliginem potius esse, quàm fulgorem. Abortiva ferè est rami cum stipite affinitas specifico, virusqꝫ crebrò sugitur, è virore virtuteqꝫ agnatæ radicis. Poteras PRINCEPS collectis Majorum titulis etiam cælos inscribere, tantùm non delere sydera; poteras immensitate sangvinis orbem inundare, ARIETIS Gentilitij sola famâ, altissimas honorum adoriri & expugnare arces: intra Nomina Sangvinis Tui, ultrò se dedissent Ioves inscribendos, ultro volverentur, ceu rapido Euphrate, ad limen Domûs Fasces, submisisset in reverentiam fastuosa Capitolium pinnacula: atqꝫ ideo hæc evenisent, quia necessariò Tibi per hæreditatem Stirpis in Te transfusæ debebantur. At verò Tu postquam semel, quærendi propria animum induisti, curam peregrinæ adhibitionis exuere visus es, nec cælo Patritiæ laudis fruiturus, nisi illud ullatenus ingenerata Tibi virtute creasses, nec per gloriæ Archipelagus velificaturus, nisi illud à fonte Probitatis Tuæ dimanaret: nec honoris basilicum occupaturus

Palatium, nisi Tuis constaret meritis.

Ita est PRINCEPS CELSISSIME Tuis Te accedi permittis operibus adventitijs, quæ sors nascendi offert inassequibilis. Prodigium id ætati nostræ, dum plurimos ea alienorum efferavit libido, ut Avorum imagines partis spoliare non contenti decoribus, domesticis exasperati rapinis, ultra protervam effrænant rabiem, orbem, etiam, sine discrimine, peregrino prædatu, direpturi. Tranatur mare, ut morum venustas de Sequana exhauriatur; exsuperantur Alpes, ut Palladium, à Trojana Progenie in Italia, rapiatur, absorbetur Tagius, vt aureo, caput imbuatur ingenio; deplumantur Bicipites Aquilæ, ut agilitas in bella acquiratur: nulla in orbe Provincia, quam non populetur, nulla urbs, quam non irrumpat & expilet rapax curiositas. Passim triumphi aguntur aureis, per exotica compita essedis: rabidos victores, unà cum tubis cursorijs in flat fastus. Redeunt inter plausus in Patriam Expilatores Gentium, & adhuc pigmentarius volvitur è coma versipelli pulvis, quasi omnia rapinæ successu in cineres redegisent, aut post funera Regnorum monumentũ sepul-

pulturæ Domum reportarent. Sine exemplo erat PRINCEPS CELSISSIME Te poſt exempla facinoroſæ admodũ curioſitatis non iviſse. Quid enim Tibi de ſpolijs aliunde compilatis accederet, qui ita opum, quas in Te virtutis ſtudium congeſserat, dives eras, ut præpotentes etiam ejusmodi gazæ Cræſos locupletare potuiſses. Tua olim luce ſeren andi erant Sereniſſimi, accendendi Illuſtriſſi mi, hinc majori ſese intenderat ardore ingenuus animi apparatus, à quo cunctorũ debuerat dimanare accenſio. Non æſtuabas ad ſoles peregrinos, ut inde animo, ſatis uſq; ex ſe nitidiſſimo, depromeres ſupplementa fulgoris; uni natalitio intentus Phæbo, clarum feciſti: ſpecioſius poſse luſtrari animos luce Domeſtica, quàm dum per differentias Climatum extenebrantur. Tantùm profeciſti intra lares Patrios, quantùm, nec illi etiam, quibus exceſsus, tantum non ultra Thulen, palmaris ad ſcientiam, probitatemq; videtur Gradatio. Non excurriſti in odorem Gallicani Lilieti, & tamen intra Patriam omnem Civilioris literaturæ decerpſiſti florem: citra gradus Romani ſepticollij ad cul-

men omnigenæ Probitatis eluctatus. Non ferebaris per Gentes & Regna, & tamen qua quaversum longe lateq; erumpente Magnitudinis tuæ famâ Orbem implevisti. Qui animo Tuo peregrini Provinciarum mores? Ita cum Romanis tractas negotia, quasi Latium Tibi esset natale, ita Galliæ expedis expendisq; Statum, tanquam si adolevisses in Gallia; ita respondes Imperio, quasi Genus rerumq; peritiam media duxisses ab Austria. Quæ non vidisti Regna, perspectissima pene tras apprimè acie, quas non incoluisti Provincias, intra animum præsentissimas geris; quas ibi ubi conditæ servantur, non didicisti leges, eminus plusquam calles. Et hæc est incomparabilis Gloriæ Tuæ immensitas, quod Mundum integrum, non ipsam duntaxat consultissimo pectore foveas animesq; Poloniam, ac ita prosis Patriæ, ut in omnes terras se protendat animi Tui universalis utilitas. Alter es post Augustum temporis Nostri CONSTANTINVS MAGNVS, unus librando Orbi universo, per singula par: at quanta activitatis replicatione! quàm non parca Tui in usus publicos largitione! vix

Celsissimi Principis in usus publicos integerrima sui ipsius indulgentia

ho-

hora est,quã Tibi Ipsi impendas, cætera, quæ tempus largitur intervalla, non Tua sunt, sed publica. Magni fluminis instar inter decumanos pro Patria sudores fluit Tibi vita; nullo Tui lucro, omnibus Te communem fecisti: & adhuc se prodiga sui exinanit liberalitas, quoties sine resipiscentia ad proprium commodum, imò ad ipsa sui detrimenta, sese erogat. Periturum putas si quod servandæ Reipublicæ non impenderes, adeoq; gerendorum disponis ac distribuis momenta, ut constet undequaq; Te publico natum esse emolumento.

Nunquam *Princeps* occurris cogitatibus humanis, quin se tota menti inferat Polonia. Quoties Te Animi Civium, quibus beneficentiæ argumentis imposuisti memoriam, in se revocant; universitas Reipublicæ speciem Tui comitatur. Imago proinde Tua, vel perperam intra animam admissa, facies est totius Reipublicæ; caput verò, quod tantam, prodigiosa apprehensione, complectitur Majestatem, ipsam Capitolij adæquat amplitudinem. Quæ solium coronant curæ eædem Te stipant; neq; ulla est augusto Di- candor in Majestatẽ amorẽ Serenissimi Regis provocans

F adema-

a demati pro publico anxietas, quæ Te pariter, atq; Principem non exigat. Vnius duntaxat differentia Infulæ distingveris a Serenissimis; cæterum consultissima indoles, cui aurum gemmæq; Regum characteristicæ concedunt, pretiosior est frontis Tuæ corona. Diceris, olimq; commemoraberis sæculi Tui paradoxum, ita exactus Patriæ, ut quæ Sceptri sunt opera, Pontificali perficias scipione. Quis uspiam *Augusto Serenissimo* augustior, in quo se reponat, Animus, Tuo? quis ad mentem SECVNDI fortunatior cogitatus, Tuo? *Elector* ille Cæsarum è millibus electus, simul etiam Elector Tui est, primum Tibi ad proprij cordis imperia largitus suffragium. In Te uno PRINCEPS CELSISSIME totam æstimat deperitq; Poloniam REGNATOR MAXIMVS. Vt enim dispersa per omnium animos in Te collegisti pretia, ita pariter in Te ferri Purpurato amori idem est; ac & per singulorum sese communicare merita, vel simul universam, Paternæ dilectionis immensitate, complecti Rē publicam. Debemus immortalem reciprocandi amoris obligationem augustæ Majestati

ti

ti, quæ, ut conſvetudine propenſi in publica ſtudij Regalis, innata benevolentiæ prompti titudine univerſali jugiter conſentit bono, ita Tibi unico optimoq; ſæculi noſtri Optimati, ad conſummandam popularium amorum contribuit generalitatem, Teq; ſui Gemmã Diadematis, prima ad coronam votorum integrandam promovet æſtimatione. Aureum proinde AGNI TVI Vellus, non tam nativo, ſuo, quàm dotali Tuo illuſtre pretio quis ambigat lectiſſimum eſſe Regij cordis monile? quis dubitet, Cæleſtis in PRINCIPE animi præclariſſimum SIDVS? aut certe illum Agnum, in quem Iovis Majeſtas, im pectoratione arcana, immigravit. At ſolum ne Iovis? Tota Numinum Sarmatiæ orcheſtra, Tui Pectoris PRINCEPS CELSISSIME deificavit innocentiam. Intra Te Sena tum geris, quem Tibi compoſitus ſingulorũ identificavit amor, æſtimatiſſima Tui coegit in Panegyrim reverentia. Quæ Purpura in Te ſuos non reciprocat ſplendores? plurimis ſangvinem debes nobiliſſimum, in Te collectum; omnibus amoris compendium. Si oracula fundis? totus loquitur ore Tuo Se-

Senatûs in Principem propẽſio.

natus, si responsa gentibus promis? authoritatem Reipublicæ vox augusta sonat, si leges proponis? mens omnium Regni Statuum illico se se explicat, imo etiam superi in TE genuinè audiuntur.

Ponti- ficij pro Deo & Ecclesia labores.

Si cum TUI Magnitudine ingenij, quo omnium prælibras judicia, serpat laudatio, ad ipsos prorepere cælos se ipsam mirabitur Nihil siquidem TIBI prius, aut promptius, quam de Divis altissimè cogitare, magnificentissimè decernere, quoties negotia ultra humana prætendunt consilium, & res Divinæ occurrunt humanitùs componendæ. Recenseremus TUO incomparabili Consilio, aut è cladibus restitutas, aut de Planta erectas, Honori Cælitum, aras? grande surgeret gloriæ TUÆ Sanctuarium, idest par, consultissimæ Pietati monumentum. Senatorios sudores, quibus perpetuo publicæ incolumitatis pretiô gemmas, non alius tibi principaliter elicit ardor, nisi vehemens promovendæ inter viventes fidei, ardor, & indefessū pro incolumitate laborantis Religionis studium. Quas TIBI non nectet adoreas restituta flori Pietas? &, jam præciso in stirpe impietatis

lolio

lolio, pulchrius repando ore, hoc ad superos perorat lilium, Tuoq; elogia evolvit zelo; explicat nullo concludendam argumento, gratitudinem, minusq; se dignam eo Nomine putat, nisi Tuis sit non vulgariter devota beneficijs. Quorsum memoremus, superstitiosa impietate, devotos, è fastis Numas? fecisse Romã per ceremonialia sacrilegia sanctam, initiasse Latium ad sacrificiorum ludibria, stipites, saxa in Numina consecrasse, elementa ad decus perfidiæ instruxisse, & crimen transuertisse in Religionem, prorsus honorem maiestatemq; Cæli, Orco transcripsisse, quã execrabilis zelus! & tamen sancti, ex disciplina flagitij habẽtur Numæ! & quã ab aris dejecerãt in præceps, erectæ Fũdatores canonizãtur pietatis. Habes unde Meritissimæ de Cælo & orbe, de DEO & Populo Pietati Tuæ deberi apotheosim (quantumvis reclamante votis nostris apologiam Modestiã) habes unde PRINCEPS CELSISSIME Apotheosim etiam præsumas! si Pietas simulata in simulacris venerationi est, quantam Observantiam sæcula, ab ætate nostra ducenda, Tibi tenebuntur? qui ut contumeliam non pateris, ita illibatum tueris ho- Pietatis promotio innovatis Fundationibus.

G no-

norem Religionis. Creverunt Aræ, Templa Tuis detrimentis, in quæ ſe Sancta prodigere non deſinit Munificentia, & jam latiùs per orbem hoſpitatur DEVS tot multiplicatis per Te ſibi in Tabernacula Sanctuarijs. Majori, parte illapſum Poloniæ Cælum, invitatis humaniſsima liberalitate ad innovata altaria Divis Indigetibus, ſine numero, quia non ſine æqualitate & proportionata quantitate, ad Tuas diſtributiones. Id vero quàm Tibi ſolenne, ita genuinum per Divorum baſilicas ædes, jungere ſuperis Orbem, viciniã ab utrinq; commercio & compage ſacrorũ lapidum ſtabilire. Quis enim ignoret, iſtud & antiquum, & proprium ut MAGNO, ita & Tibi MAXIMO CONSTANTINO. Brevi fiet PRINCEPS CELSISSIME prodigioſa liberalitate Tua, ut non Nomine dũtaxat, ſed re ipſa Cælum ſe Poloniæ identificet, aut tota intra Cælum quæratur Lechia, ſacris eò aſsurrectura, & tandẽ penetratura tẽplorũ pinnaculis, unde jam dexterrima manus Tuæ provectione, tã prope diſtat, & terrã à lõgè deſpicit. Eveniet & illud ut Poloni è regione Poli rectè dicamur ducamurve. Imo

jam

jam prope in eventu eſt: ſiquidem, tanta ad Cælum orbis noſtri contiguitate, remotiùs à priſtino Gnomicæ judicio ſtetit Matheſis, Stylumq́ȝ, quo per umbras percuſſis parentabatur horis, Divorum radijs ſuppleri experitur, ut prorſus aureas, noctisq́ȝ funeſtæ expertes reputemur habere dies, poſtquam nova per Te PRINCEPS CELSISSIME cõſtitit nobis Poli Elevatio.

Et ita quidem Poloniam Numinis Imperio adjeciſti. Auditur tota Cæleſtis, tota Syderea, jamq́ȝ in appendicẽ Empyreo Provinciam redactũ Regnum. Vt autem firmiùs cohæreret Numinis Imperio, quæ non egiſti? fide cum Superis & hominibus diſſidẽtis perduellionis causâ. Activa hucusq́ȝ in factiones Hereſis, jam Tuæ operæ pretio, etiã vocalis eſse prorſus deſijt, coacta impoſitum ſilentij jugum ferre, quæ, præ inſolentia liberè ſentiendi, dogmata veritatis blasphemãdi, jugũ fidei excuſserat, libera à Cælo, quia tota per licentiã intricatiſſimi erroris captiva Orco. Capitis Tui Conſilio truncata multiceps hydra in jugulis, ãplius in virus nõ aculeatur; nec audiri in ſibilo poteſt, imo nec de-

Fidei zelus coercita Hæreſi.

bet, quæ inſtar aſpidis, aures cæleſtibus obturavit oraculis. Coegiſti publicis vecordiã interdictã cõgreſſibus, ſerã diuturnæ pertinaciæ, in ſolitudine domeſtica agere pænitentiam; & ſimul docuiſti, indignos hominũ concilio, qui DEI perpetua cum hominibus cõſortia, vivorumq; ad Divos neceſſitudinẽ indignantur. Aliquamdiu intra Nos Civilem videri diſſimulabamus Perfidiam, in Cives, Nobilitatisq; decora admiſſis, publicis, ex adverſa fide, hoſtibus; hodie ruſtica, jugum dũtaxat, non decora Libertatis verſat; & niſi falcem ingenij ad Vaticanam acuerit Petrã, ad faſces titulorum metendos non proficiet. Nemo deinceps dicetur Polonus natu, niſi ſimul conſtet eſſe Religione Romanum, Ceterasq; Illuſtris Generis, accẽdat ea luce, quàm evibrat Rupes illa, contra cujus vel tenuem ſcintillam Inferi non prævalent. Tuum eſt PRINCEPS APOSTOLICE, illudq; geſti glorioſiſſimè è Cathedra *Vladislauienſi* Pontificatus Pomeraniæ trophæũ immortale, quod Balthis Epiſcopali Pedo, ceu Divino Neptuni Tridente, attonita; trãquillitati reddita. Plus errorum quàm undæ illo

ma-

manabat Oceáno. Ex gemmarum non cō-temnenda æſtimabatur copia, cæterùm nobiliſſima gemmarū ſpecies unio fidei, quæ ibi ſola reperiri non poterat, pretium omne Sarmaticæ ademerat Piſcariæ. Styge tinctus videbatur, quiquis luſtricas Thethidi Venedicæ debebat thermas. Palam erat Gedanenſes, ad prodigioſam è luce Pharon mō-ſtroſius cæcutire, extincto fidei lumine: pejusq; ſapere ad Olivā, ex inconditis dogmatibus. Nobiliſſimum illud Europæ Emporium, ne quid ad laudem florentis mercatûs deeſset, etiam errores animis, animos Orco vænales propoſuerat. Quidquid peſtis per Orbem diſperſum, in unam coactum Vrbē; quaſi non ſatis eſset omnes ſuæ Balthidi immanare fluvios, niſi etiam univerſæ lues, eo influerent. Fecerant perplexas ampliſſima in Vrbe vias obliquæ plateæ; at longè perplexiorem, decuſsatim, quadantenus obverſi, ſibiq; contrapoſiti errores, ut non immerito paſſim, Vrbs errorum, Opinionumq;, Gedanum vocaretur. Admittebat tot commeantes ad portum Claſses, ſolam Petri excluſit navem. Salutabat geſtiens

commeantem è Polonia Cererem, & opimum ſuæ pretium penuriæ altiùs æſtimabat, ſed optima Evangelicæ veritatis ſemina reſpuebat. Iam autem innumeras ab Hollandia, Anglia Claſses, quia conditam aromatis importabant perniciem, perditiſſimè deperibat, avidiùs diripiebat, quaſi in ſuam necem ex genio libidinoſior. Non recito ereptas orthodoxis ipſiq; DEO per Sacrilegium Aras, fædis impiatas ritibus: detractis è tholo Indigetum imaginibus, ipſa, ad contumeliã verecundæ Pietatis, contectos nuditate parietes, diſtracta Eccleſiæ bona, in proventum nequitiæ attributa, ut ijs aliti viverent, qui mortem devorandam populo proponerent. Iſtanè memorem, quæ ante nec cogitata quidem memorantur? Tuum potiùs incomparabilem memorabo zelum PRINCEPS CELSISSIME. In ea animum, cogitatu grandi, ultra Inſulam eminentem, erexiſti, quæ ante Te nemo ſibi attentanda ſecurè perſvaſit, nemo poſt Te exacta, trepidanti non revolvet admiratione, auſus heroicos præfocante in primis apprehenſionibus, objectarũ difficultatum metu. Intellexiſti pluri-

rimùm derogari Ecclesiæ à plerisq;, non tã defectu Religionis, quàm intuitu dotalium Templis bonorum. Multos fidei excæcavit & in præceps trusit lumen intolerabile, plures splendor Majestatis Ecclesiasticæ, percussit invidiâ. Rapi se proinde ad novos ritus facile sinunt, quibus nihil antiquiùs, quàm de Sacris locupletari opibus, Sacrilegijs ditescere. Certe pingvis Panis Christi offa, non paucos in canes efferavit rabidos, qui, quò avidiùs Sacra devorent, perniciosiùs abominantur. Vt ergo hæc belluina posset prædomari libido, TIBI Vni adnitendum erat, quo nemo, aut animosiòr, aut felicior ad ejusmodi periculosa incepto, perniciosiora eventu certamina. Ausus congredi helluantibus voraci ingluvie Leonibus, & rabidæ de faucibus fami (qua nullus, aut nocentior aut potentior hostis) prædam excutere. Me hercle! plura non egit ad Coronam David, dum gregis Pastor vindicias rapinarũ ageret; nec Tu minora: nisi fortasse operosius sit, perindeq; gloriosius, exutis homines, belluasq; indutis colluctari pro spolio Raptoribus, quã ipsissimis ex natura congredi Leonibus.

Vindicat Ecclesiæ bona.

Plurimèm egeras PRINCEPS brevi Pontificatùs Tui *Vladislaviensis* intervallo, neq; illis succesſura ſufficiēt attendendis, quibus antelapſa attentandis haud æquivalebant ſæcula. Vindicaſti dotalia ſponſæ Bona, quo merito, perennē Tibi annulo æternitatis deſponſaſti memoriam. Fluet non deſituro fonte tota Balthide Diæceſana gratitudo, prædabitur gēmas, ad Coronā gloriæ Tuæ perpetuò concinnandam artificio. Imo ipſi quorum profanis manibus Sacras ditiones, & ſimul onus conſcientijs ademiſti, perpetuam Tibi in vadimonium debebūt obligationem, quòd effeceris juſtos, amoto iniquitatis jure. Quod ſi revocatas ad frugem, ſub auſpicio feliciſſimi Præſulatûs Tui animas expendamus? quanta inde laudum conſurget meſſis? Prodigioſum eſt Iura Bonaq; Eccleſiæ reſtituiſse; illud ultra prodigia alienatas à DEO, fide & Eccleſia animas ad priſtinum reduxiſse dominium. Horum verò quantus sit numerus, inde cōſtat, quòd illis Cælum impleri poſſit, & ducta proportione, Tui laboris, & Paſtoralis ſolicitudinis gloria adæquari. Poſsent extinguere Sydera

ra & Stellarum numerum præſuplere, ſi uſi-
tata veteribus Religione, homines probi in
Sydera aſsumerentur, & mota è terris ſtatio-
ne, colonia in firmamento perēniter coru-
ſcaturis aſſignaretur. Hæc ergo Infu-
latorum meritorum Tuorū ſumma & apex
eſt PRINCEPS CELSISSIME, à culmi-
ne, quæ fidē moreſqꝫ impiaverant, flagitia,
egiſse in ruinam, & cladibus fortunatis ad-
didiſse infeliciſsimam Gentium cladem Hæ-
reſim: reformaſse omni deteriores ſcandalo
Reformatores; in Crucem Præſuleam Au-
guſtanos egiſse Confeſsores, & perpetuo,
fundendi jugiter, ex contumeliæ pudore, Sā-
guinis, Martyrio affeciſse. Iterum ſignatus
cauterio in Polonia proſcriptuſqꝫ Regno
Calvinus, ſacerrimus mendaciorum Evan-
geliſtes Lutherus conclamatus, & quidquid
demùm ſceleri, & turpi famæ Nomen dedit.
Abſterruiſti à Patria Genevēsē Aquilā (ve-
riùs cruentum conſcientijs vulturem) nè
āplius, intra nidū noſtratis Aquilæ, atros ſup-
ponat fætus, & cādoris natales cunas, mon-
ſtroſa, ad perniciē, funeſtet prole Lupis quoqꝫ
Angliæ (Anglia enim lupos parit pejores

ijs, quibus caret) opposuisti tremendum in AGNO Tuo leonem.

Togata Opera Celsi Principis.

Ectasim quandã patimur PRINCEPS in spiritualium Operum Tuorum contemplatione, illorumq; immortalitati planè immorimur. Extra sensum abimus, & prope ipsam vitam, dum enectis labe Hæreseos truculenta, Tuo refusam spiritu perpendimus vitam. Sed utinam ita pro Te Animam agamus, ut Tu pro fide, in animis errantium præfocata, agonizas! neq; tamen novissimo fatigaris anhelitu. Aut immortalis es; aut eo præditus spiritu, qui toties pectus augustum uiuificet, quoties occumbendum est. Ita fanè de Immortalitate & immensitate animæ Tuæ credere nos oportet. Magno *Constantino* non parvos spiritus providêre Numina. Diximus PRINCEPS non soli Te Tibi superesse. Vita Tua communis est omnibus, animus per uniuersa dispartitus, tanquam, si ipsa se sui cumularet erogatione. Metire factis proprijs Animum Tuum PRINCEPS. Effundit se in opem Ecclesiæ laborantis? simul Regni negotijs absorbetur; Cathedram Præsularem occupat? non deest Curuli senato-

natoriæ: aris aſsiſtit? Throno præſentiſſimus; pariter Myſticus ac Politicus, conſultā Templo Sanctitatem, Sanctū curiæ infert conſilium, æquali ubiq; Majeſtate,

Difficillima expedit negotia.

Vidiſti PRINCEPS Imaginem Magnitudinis Tuæ inter Aras radiantem, indulge pupillam, intra Numina Conſularis Panthei contemplandæ. Illuſtri ectypo pro umbrarum decore ſplendores, pro aureis coronicibus, Lauri, Palmæ, Oleæ, coronariū prætendunt ambitum. A quo dexteritati Tuæ ſpes publicæ illapſæ, Regni fortuna ſtabilior, lugendos ridet intrepida eventus; circumſtrepentia fatorum, ſerena fronte fulminat diſcrimina, Tui Capitis inter publicos angores, periculo, ſecuriſsima. Admoviſti invictum oneri brachium, tanquam ſi geſtato pro Atlante Cælo, prodigioſam ingentibus experimentis exercuiſses fortitudinem. Agebas REFERENDARIVM M. D. Lithvaniæ, & totus Orbis Sarmaticus, Magnus erat Nominis, & prudentiſsimè tractati Muneris Tui Referendarius. Nondum tunc Purpuram indutus, ipſo in Patriam candore trabeatus; jam ultra Purpuratos ſapiebas; altior proprij

Referēdarius M. D. L. admirabilis prudētiæ.

I 2 faſti-

fastigio Animi, quàm non pavci primis in Senatu subsellijs. Euenit perorare ad aures *Principis*? efficacissimæ Imperio eloquentiæ ibant in subiectionem sceptra, & Majestati loquentis, solia concedebant. Ab hac laudatissimæ eloquentiæ commendatione, debueras ad Pontificiam CVIAVIÆ profecisse Cathedram, & bene dicendi privilegio Crucem emereri Præsuleam. Quid æquius sanctiusvè quàm illos creari Pastores animarum, quibus uberrimi facundiæ campi, opima relevandæ ovium fami præstant pascua.

Episcopus Vladislaviensis.

Geminavit publicam Tui æstimationem PRINCEPS CELSISSIME *Serenissimus Moschoviæ Monarcha*, oblato dono pretiosa Cruce, & Gemmã, Præsularis Collegij Coronæ accedentẽ innumeris libravit adamantibus. Trophæũ id erat augusti fauoris, quo ipse *Princeps* Gratiarũ, Principum Gratijs & amori destinabaris. Rectius deinceps *Constantino* Magno, præ Heraclio Exaltatio Crucis adscribi cæpta, postquã, hæc in Tuo, manibus *Principis*, sublimata collo. Auditũ est, acclamare festivius populũ: Innumeras toleratarũ tũc Poloniæ calamitatũ

A Serenis. Caro Moschoviæ adamantina donatur Cruce.

cruces

Cruces, in hanc Crucē Invictiſſimū egiſse Monarcham, ut geſtatæ pectore, de gravedine Regno inſupportabili, remitterent. Actū eſt. Nondū memoriā hominū fatigavit, nō dū admirationē cōpoſuit, illud pluſquàm immortale Pacis ſtabilitæ prodigiū. Corripuerant orbē Patriū aliquot annorū incendia; arſit nō unius ætatis ſole; & ſanguis opprimēdo affatim fuſus igni, fomes erat majoris flāmæ. Poſtquam vita, Libertas, fortunæ, ſub haſtam actæ; pugnādum erat, nè deniq; ſepulchra ruinæ & ipſa demū captivitas eriperetur, & furor ſævitiæ in plagas ipſas impetum verteret. Pugnatū eſt ſine opibus ſola ope Numinis locupletibus. Vitā vindicabamus ſemineces, & ferrea vincula digladiari coégimus. Tandem ſola nuditate cataphracti, exuimus, ſi non prædā, ſaltē prædandi libidine phaleratam rapinis potentiā. Attamē devexæ in præceps tot caſibus ſortes noſtræ, graviùs ruituræ putabātur, quò nitebātur altiùs. Ita pronū erat perire, in ābiguitate aleam mutantis fortunæ. Ad crepidinē præcipitij, exteris etiam triarijs viribus, nemo non certior ruinæ, athleticā intendit; & ſaucio penitus pectore, nemo, fruiturus vi-

Pacē publicam evincit.

 cti-

ctoriâ triũphavit. Quia tamen Nobis per ipsa conflictãtibus discrimina creverunt Palmæ, in fulmina vernarunt Olivæ pacis; felicitatis Nostræ, at Tuæ proprium est decus activitatis PRINCEPS CELSISSIME. Indixisti bellis bella, utriq; stringentium contra se arma, ausus congredi aciei. Quæ hæc Tua PRINCEPS Animi immensitas? quæ Consilij invicta fortitudo? uno Capite, immortalibus (qualem Persarum Delectum fuisse legimus) rationum succincto copijs, innumeras manus exarmas? unico argumento millia furorum compescis, & ingenij versatilis acies, Xerxis Castra potest dissipare. Aureâ Prudentiâ ferrũ comprimis! Sangvinis prodigalitatem fuso sudore sistis; calamo, lecta in alas deles Castra. Cõcussus cladibus internecinis mundus, nonnisi in Tuo redintegrari potuit sinu; Tuis deliberationibus, ad se, ex insania redijsse. Vnum tamen PRINCEPS CELSISSIME observavimus, quo obversus palmari solicitudini Tuæ eventus, rectè se in decorum Tuorum meritissimã intorsit gloriam. Mitigato ex calore Gradivo, convolutis ad otia signis, reddito vaginæ ferro, novum intra animos Civium

Patriæ ad trãquillitatem reductæ in Celsis. Princ. Gratitudo.

exci-

excitasti bellum. Res in aperto est. Vix tuba, conclusam Tua strenuitate pacem promulgavit, nova in populo seditio; scindi in partes Respublica, in singulare quisque provocare certamen, animos irritare, & partiri in turmas, momento dimicaturæ toto Regno steterunt acies, quasi integra Polonia, unus esset exercendo operi heroico destinatus cãpus. Motus Civilis erat, sed tamen pulcherrimus, sed optabilis, & quidem in Te PRINCEPS ex consilio instructus. Ecce evicta Pace totam in certamina officiorum, in vices gratitudinis, in publici applausus prælia excitasti Sarmatiam! concurrebant distinctæ gratantium acies, utra alteri præriperet palmam ad pensandum facti beneficiũ.

Hæc egisti PRINCEPS CELSISSIME præsenti ad decus & commoda, præteritæ ad invidiam, venturæ ad exemplar & admirationem ætati: uno hoc Tuo incomparabili opere, amiserũt Nomen prodigia, quæ subinde portẽta sunt, nomenque miraculi ab insolentia persæpè usurpant. Mille proinde adoreis pẽsandos labores Tuos MONS CORONARVM VAVELVS, titulô præ-

Episc: Crac: & Dux Severiæ, magno Vrbis & Orbis applausu.

K

præ-

præmij debuerat coronare. Imò quidquid in Orbe diadematum, in Tua ſe colligit uſquequaq; ornamenta. Adijcit votis publicis gemmeos è Regio diademate calculos, *Sereniſsimus* inter Invictiſsimos, *Invictiſsimus* inter Sereniſsimos, AVGVSTVS Poloniæ Regnator. Quidquid in Orbe Sãgvinis Auguſti, intra Electoralia *Principis* noſtri manat *Flumina*; quæ tibi PRINCEPS ab hac ſcaturigine non emergent Purpuræ? Primus eris, felicitate eminendi non tamen unus. Ea ſiquidem Probitatis Tuæ immēſitas eſt,ut & cæteris evincat decora; exiguùm ſibi, plurimùm alijs ad emolumenta proficiens. Quis enim exemplis Tuis primùm ad ſtudia, deinde ad præmia virtutum non proficiat? Inſpiraſti eum Illuſtriſſimo ſanguini Tuo fomitem, ut, ſicut inextincto laudatiſſimè de Patria merendi corripitur ardore;ita maximis quibuſvè inter meritiſſima Nomina cogatur inclareſcere ſplēdoribus. Pari proinde paſsu, poſt virtutum ac aſcenſionum Tuarum debent conniti veſtigia. Habes quem è ſupercilio Vaveli ſupra Clivos Leopolienſes, tandem ſuper Chełmen-

(Illuſtriſſimæ Familiæ Szaniaviana panegyricus.)

menſem Albanum, virtutibus, plus quàm Inſulâ eminentem ſpectes Illuſtriſſimum EPISCOPVM NOMINATVM CHEŁMENSEM. Ille Tibi *Conſtantino* Magno ſuppar, maioratu Nominis decorumq; IOANNES FELICIANO non minor FELIX. E curuli quoq; Senatoria habes, in quo Te ipſum rectè contuearis, Illuſtriſſimũ CASTELLANVM *Lublinenſem*. Minoris Poloniæ uterq; occupatis curules, orbe toto per meritorum gloriam ampliores. Non minora Te in Illuſtriſſimo SECRETARIO *Maiore Regni* Patria admiratur, Tu PRINCEPS CELSISSIME recognoſcere debes. Frater eſt ſangvinis æquè ac virtutis Tuæ genuinus. Provocat fronte infulas & mytram, quas Tu occupaſti: quòd autem toties poſtulatus, pluries meritus eaſdem non admittat, ingenerati amoris ſpecimen eſt, ubi maximus innatæ Magni Prælati modeſtiæ honos eſt, ut diutiùs Te *Princeps* Deſideratiſſime publicis ſuperſtitem ſolatijs, videat expectare ſucceſsores. Deniq; Illuſtriſſimi Nepotes *Capitaneus* Chencinenſis, & *Capitaneus* Sochaczovienſis, Flores Heroum,

 Gem-

Gemmæ Sangvinis, Sydera Patriæ, ſupra titulos, ſupra elogia maiores, viva ſunt Tuæ *Princeps* magnitudinis ſimulacra. Ita ingenio eminent, ac ſi divinitatem præripuiſsent Apollini; ita vernantem, in coronā publicæ expectationis accommodant ætatē, quaſi iā in toga & uſibus Reipublicæ incāuiſsēt. Vniverſa hæc Domûs, ſangviniſq; Tui Nomina, publica Tecū abundè cumulant ſolatia.

O quot quantiſq; Coronis Peraugusti *Capituli* Cracoviēſis auges Diademata! quot Decoribus Metropolim Reginamq; Vrbiū *Cracoviam* reples! Iam iſtud Regni Caput Te *CONSTANTINO Principe* iuſtiùs incæpit vocari *Caput Orbis & unica mundi gloria*, ſuaq; Poloniæ Roma. Exātlabis (ut iam per ſpem publicā conclamatū eſt) exantlabis Magno maiora Conſtantino. Ille ſedem Imperij tranſtulit ab occidente in orientē: TV Regni Metropolim ab opaciſſimo tot calamitatū Septemtrione in meridiē fauſtioris ævi tranſportabis. Iā tuo fortunatiſſimo Pōtificatu à tot luſtris extinctæ virtutes ad vitam reſūpto ſpiritu, redierūt, æquè enim titulū, ac poteſtatē in mortuos, Magni

Petrarcha.

STA-

STANISLAI, occupas. Nemo post Primũ secundus Stanislaus, nemo ante Te Primus CONSTANTINVS hanc inoccupavit Cathedrã. Dabis adhuc nõ uni vitã cadaveri, inspirabis animã vigorosæ Religionis, spiritũ fervidæ veritatis, ipsam deniq; infundes Reipublicæ corpori immortalitatẽ, idest illud ipsũ Pneuma, quo Tu *CELSISSIME Princeps* vivere perhiberis, & victurus es, sinè fatorũ prætensione, votis clientũ Tuorũ ad noviter surgentes aras, pro incolumitate Tua iugiter exorantium.

Interim nos, præmissis œcumenica cõprecatione, pro incolumitate Tua ad superos postulatis, ad Tui Honoris arã peculiariter devotos ac supplices restat procũbere. Admittes hanc Pietatis nostræ devotionẽ, & simul nos intra pectus Tuũ semel admissos, fauore Gratiosissimi *PROTECTORIS*, beneficentiâ Liberalissimi *FVNDATORIS*, ãpliùs prosequi non dedignaberis. Primam in Regno Poloniæ debemus *Scholæ Piæ* Divis *PRIMO* & *FELICIANO* tutelam (quorũ sacris Lipsanis primum Polonæ Prouinciæ nostræ Collegium Varsavien-

ſe à *VLADISLAO IV.* locupletatum, o-
olim Te *Princeps* intra pretioſiſsima inge-
niorum pignora ſe recenſuiſſe gloriatur) al-
teram Tibi *CONSTANTINO* Primo &
FELICIANO. Quantũ iam liberaliſsimo
Nobis profueris corde & manu? ultra ca-
lamum eſt, quantùm nos Tuis debeamus fa-
voribus? etiam captum excedit. Scribit, gra-
tulaturq; Te ſuum Alma *ACADEMIA
CRACOVIENSIS* Vniuerſitatũ Augu-
ſta, ſcientiarum ſydus Primæ Magnitudinis,
CANCELLARIVM; *Scholæ Piæ, Cra-
coviæ, Petricoviæ, Łucoviæ* Munificentiſsi-
mum Fundatorẽ, ubiq; Patrẽ, ac Protecto-
rem duraturo per ſæcula officio, recogno-
ſcunt & venerantur. Rependimus in præ-
ſenti tua Beneficia Philoſophico ſyſtemate, cujus pri-
ma fundamenta una cum baſibus Divino poſitis Sanctu-
ario tua Pontificali benedictione initiari depoſcimus.
Religioſa hæc duntaxat Peripathus, etſi Sole Thomiſti-
co luminatur, ſuam tamen amabit umbram, maximè
dum Tuæ Protectionis alas expandes ſupplici,
eo clarior futura, quò & Patrocinio au-
guſti Nominis Tui, & ſuæ ſubmiſ-
ſionis modeſtiâ tectior.

CONCLVSIONES
EX
VNIVERSA PHILOSOPHIA
Iuxta Mentem D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI
EX LOGICA.

I.

LOgica est Scientia Speculativa habens pro Objecto Ens rationis.

II.

DIstinctio SCOTISTICA non datur prout nec Vniversale à parte rei, sed fit per comparationem intelectûs.

III.

NAtura Angelica inadæquatè concepta est Vniversalis Logicè.

IV.

DEVS T. O. M. non ponitur in prædicamento substantiæ, benè verò Christus D.

V.

PRopositiones contradictoriæ de futuro contingenti ante Decretum DEI non sunt determinatè veræ vel falsæ.

EX PHYSICA.

I.

MAteria prima est pura potentia nullum includens actum, nèc divinitûs potens existere sine forma, & inter hanc ac illam non datur unio formalis

II.

VNus & idem numerò effectus etiam de potentia DEI absoluta nequit produci à duabus causis totalibus ejusdem Ordinis.

III.

DEus, præmovet Physicè omnes causas secundus ad agendum, nec per hoc lædit earum libertatem.

IV.

VNum & idem numerô Corpus etiam in alia DEI providentiá non potest esse simul in duobus locis circum scriptivè.

V.

MVndus potuit esse ab æterno tàm quò ad Entia permanentia, quam quò ad successiva.

Ex LIBRIS De ORTV & INTERITV.

I.

GEneratio substantialis est actio distincta realiter ab alteratione; & recipitur in toto composito.

II.

ACcidentia quæ secum defert forma genita disponunt materiam ad ejus receptionem.

III.

INtensio qualitatis fit per majorem radicationem in subjecto.

IV.

POssibilis est transitus de uno elemento in aliud, etiam in dissymbolis.

V.

ENs successivum semel corruptum nec Divinitùs potest reproduci.

Ex LIBRIS De ANIMA.

I.

POtentiæ Animæ specificantur ab actibus & objectis.

II.

OBjectum adæquatum Nostri intellectûs est ens in tota latitudine, proportionatum verò quidditas rei materialis.

III.

SPecies impressæ quæ sunt necessariæ ad cognitionem, sunt ejusdem naturæ cum objectis repræsentatis.

IV.

IN qualibet intellectione creata excepta visione beatifica producitur Verbum.

V.

INtellectus est perfectior voluntate.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICÆ

EX METAPHISICA.

I.

ENs non est Vnivocum respectu inferiorum, nec habet conceptum unum perfectè præcisum ab illis.

II.

ESsentia & existentia distingvuntur realiter in creatis.

III.

SVppositum supra naturam addit complementum positivum distinctum realiter à natura.

IV.

PRincipium individuationis neq; est hæcceitas, neq; forma, sed materia signata quantitate.

V.

EXistentia DEI est naturaliter demonstrabilis à posteriori.

Disputabuntur publicè in Collegio CRACOVIENSI Scholarũ Piarũ Præside R. P. THOMA à SS. PETRO & PAVLO, Philosophiæ Professore, Defendente P. BONAVENTVRA à S. NICOLAO Anno D. 1724. Die 11. Maij.

C. V. XXII